

Ernst Cothmann

**Programma In Recitationem Legum Academiae : [Dabantur Rostochii XXVIII.
Augusti Anni M. DC. XVI.]**

Rostochi[i]: Pedanus, 1616

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734364784>

Druck Freier  Zugang



R. U. Progr. 1616.

Programma

1616.

IN RECITATIONEM
L E G U M
A C A D E M I Æ.



Rostochi

Excudebat Joachimus Pedanus, Anno 1616.

J.

35.

IN REFORMATIONE
L. E. G. U. M.
A. C. A. D. E. M. I. A.



Rostochi
Rechtliche Facultät



RECTOR
Academiae Rostochiensis,
ERNESTUS
COTHMAN
J. U. D. & PROFESSOR.



Salvator noster quando prædicit fore, ut in novissimo die oves ad dexteram suam, hoedi autem ad sinistram sistantur, duos hominum greges nobis ob oculos ponit. Unus est illorum, a quorum dextris Jehova itat, alter eorum, à quorum dextris itat diabolus. Ille, oves habet Dei amantes, gloriosas in Christo, & de Christo, abnegantes se ipsas, humiles, bonas, morigeras, gratas, castas, sanctificatas, diligentes proximum, foederum religiosas observatrices, temperantes, sobrias, mites, lenes, benignas, fideles, prudentes,

tes, mansuetas, modestas, vim pietatis habentes & ex-
primentes. Iste, continet hæc, Dei osiores, sui aman-
tes, repletos omni iniusticia, improbitate, avaritia, mali-
tia, plenos invidia, cæde, contentione, dolo, malignita-
te, gloriosos de se & in se, superbos, inflatos, maledicos,
contumeliosos, immorigeros, ingratos, impuros, chari-
tatis expertes, nescios foederis, calumniatores, oblocuto-
res, susurriones, intemperantes, immisericordes, immites,
sine benignitate amaros, implacabiles, insipientes, præci-
pites, habentes formam pietatis sed vim & virtutem ejus
abnegantes. Tales homines futuros esse Apostolus
prædixit, non quod aliquando defuerint, sed quod tan-
to plures erant, magis magisque abundabunt, quanto ma-
gis propinquatur ad finem. Senescit enim mundus, &
in eo omnia fiunt languidiora & deteriora, ac tanta est
malorum & multitudo & improbitas, ut filius hominis,
cum ad iudicium venerit, fidem in terra vix sit repertu-
ras: Quin & boni, in suo quisque ordine, errata plura
habent. Scribit sanctus Augustinus de contentione &
dolo quid me attinet dicere, quando ista vitia non in ple-
be sed in nostro numero graviora sunt: horum autem
morborum mater superbia est, & humanæ laudis avidi-
tas. Et Divus Hilarius periculosum, inquit, nobis ad-
modum, atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere,
quot volantes: & tot nobis doctrinas esse, quot mo-
res: & tot causas calumniarum pupillare, quot vicia
sunt, dum aut ita fides scribuntur, ut volumus, aut ita, ut
volumus intelliguntur, & cum secundum unum Deum
& unum Dominum & unum baptisma, etiam fides una
sit, excedimus ab ea fide, quæ sola est, & dum plures
sunt, ad id ceperunt esse, ne ulla sit. Conscij enim no-
bis

bis invicem sumus, post Niceni cōventus Synodum,
nihil aliud quam fidem scribi, dum in verbis pugna est,
dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio
est, dum de autoribus querela est, dum de studijs certa-
men est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri
anathema esse cepit, propè jam nemo Christi est. Ju-
risperitos & callidos quosdam esse inter mulieres sed
ineptos & stultos inter viros Marcus Tullius Cicero sua
etiam ætate est testatus, & Cynus noster non legum
Doctores illos, sed dolores esse scriptum reliquit, qui nec
fas ullum præ oculis habent, sed tanquam avaritiæ ve-
mundati & usucapti nihil præter infeminatam petendi li-
centiam norunt. Et si quem semel inter retia ceperunt,
ealibus mille impediunt per morborum aut occupatio-
num simulationem vicissim consultò cessantes, utq; per-
vulgati juris lectio una proferatur, septem vendibiles
parant introitus, dilationum examina longissima con-
texemes. Quid de Medicis? quorum ipsa etiam adju-
menta & medicamenta tormenta sunt, dum homines à
morbi exitio, pœnali erant auxilio, ut interim medi-
cos malos & indoctos reticeam, qui plerumq; faciunt,
ut ægroti peritis quoq; & bonis se committere timeant.
Philosophiæ veræ & sobriæ umbra tantum quædam
hæctenus apparet. Magistratus, quibus vel totius
mundi vel partis ejus cura præcipua incumbit, ab anti-
quis illis & veteribus sapientia, prudentia, & fortitudine
multum abesse rerum publicarum facies præsens osten-
dit. Adolescentes præcipites eunt tanta cecitate, ut
inter coætaneos suos pudeat eos minoris dedecoris,
quam audiant illos jactitantes flagitia sua, & tanto glo-
riantes magis quanto magis turpes sint, & libet malum,

A 3

facere

facere non solum libidine facti, verum etiam laudis, nec
interim agnoscunt & expendunt, se iter agere platearum
Babyloniæ, & volutari in cœno ejus, tanquam in cina-
momis & unguentis preciosis. Hæc vitia legum pia-
rum & honestarum consideratione sapius repetita extir-
pari vel certè comprimi necesse est. Etsi enim natura
nos docet, quæ legis sunt, facere, tamen utile est, natu-
ram legum consideratione subinde adjuvari. Quod &
præpotens Deus exemplo suo præmonstravit, & in
Academia nostra sapiens verustas constituit, & singulis
semestribus leges Academicas publicè legi & inculcari
voluit. Huic consuetudini receptæ cum obtemperare
pium, justum & bonum sit, diem crastinum legum illarum
recitationi destinavimus, ideoq; omnes & singulos juris-
dictioni nostræ subditos obnixè & peramanter rogamus,
& severè monemus, ut ad horam nonam frequentes ad-
sint, & secum diligentius cogitent, legum doctrinam
nobis omnibus esse perquam necessariam, si emendari, &
ab illis, quæ dixi, vitijs perpurgari vel præservari velimus.
Deum toto pectore oro, ut nobis à dextris stet, & Dia-
bolum ibidem stare volentem & nos cribare vel seduce-
re conantem clementer depellat, & in primis Illustrissi-
mos & Cellissimos Principes, Dominos nostros clemen-
tissimos sub umbra alarum suarum benignè protegat, &
hanc urbem totamq; provinciam sibi commendatam
esse patiat, tum verò etiam Academiam adversus vim
& injuriam potenter tueatur, & pacem ac tranquillita-
tem inter vos conservet. Quod magis imperrabi-
mus, si bonum & æquum nobismet ipsis denunciemus,
hominum genus ex uno ad commendandam concor-
diam propagatum esse attentius consideremus, id quod
nostrum

nostrum est, tantum defendamus, in emergentibus con-
troverfijs ideò judiciorum vigorem jurisq; publici tute-
lam in medio constitutam esse, ne quisquam sibi ipsi per-
mittere valeat ultionem, piè meditemur, quod iustum
est iustè prosequamur, falcem in alienam messem mittere
intermitamus, & adventantem Dei filium & vivos atq;
mortuos ad calculum mox revocaturum & oves ad se
recepturam, sed hoedos propulsaturum sanctè cogite-
mus & cum desiderio expectemus. Dabantur Rostochij;
XXVIII. Augusti. Anni M. DC, XVI.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.



Bis invicem sumus, post Niceni cōven
nihil aliud quam fidem scribi, dum in ve
dum de novitatibus quæstio est, dum de a
eit, dum de autoribus querela est, dum
men est, dum in consensu difficultas est,
anathema esse cepit, propè jam nemo
risperitos & callidos quosdam esse in
ineptos & stultos inter viros Marcus Tu
etiam a tate est reitatus, & Cynus nos
Doctores illos, sed dolores esse scriptum
fas ullum præ oculis habent, sed tanqua
mundati & usucapti nihil præter infemina
centiam norunt. Et si quem semel inter
easibus mille impediunt per morborum
num simulationem vicissim consultò cessa
vulgari juris lectio una proferatur, sep
parant introitus, dilationum examina
tēxentes. Quid de Medicis? quorum
menta & medicamenta tormenta sunt,
morbi exitio, pœnali erant auxilio, y
eos malos & indoctos reticeam, qui pl
ut ægroti peritis quoq; & bonis se com
Philosophiæ veræ & sobriæ umbra tan
hactenus apparet. Magistratus, qui
mundi vel patrie ejus cura præcipua in
quis illis & veteribus sapientiæ, prudenti
nullam abesse rerum publicarum facies
dit. Adolescentes præcipites eunt tan
inter coetaneos suos pudeat eos min
quam audiant illos jactitantes flagitia sua
nantes magis quanto magis turpes sint, &

A 3.

